ſupponi, aut permutari, aut omnino alienari concedimus, neque ſi ad alteras venerabiles domos, tale aliquid egerint. §. 1. Et quoniam cognovimus ab aliquibus fieri alienationes [1] monaſteriorum, ut hæc a ſacra figura in privatorum converſationem transferantur, & hoc omnibus modis prohibemus. Si vero tale aliquid factum deprehendatur: licentiam præbemus ſanctiſſimo loci epiſcopo hoc monaſteriis vindicare, & in antiquam figuram reducere. Si [2] vero quis de prædictis venerabilibus domibus quæ in hac regia civitate, ſive in aliis provinciis, ſunt, (excepta ſanctiſſima majore eccleſia regiæ civitatis) prædium habeat plurimis fiſcalibus tributis gravatum, ex quo nullus inferatur reditus venerabili domui: licentiam [3] præbemus ejusdem venerabilis domus ordinatoribus tale prædium alienare quolibet modo voluerint, ad perfectam ſecuritatem ejusdem venerabilis domus, geſtis monumentorum videlicet in hujusmodi alienatione conficiendis ab illis a quibus ordinatores talium locorum præponuntur ſive ordinantur, & jurantibus in ſanctis ſcripturis præſente antiſtite ejusdem venerabilis domus, & ampliore parte in ea deſervientium, quod neque per proditionem, neque per gratiam, aut quamlibet præſcriptionem alienatio fiat, ſed ut ſervetur immunitas eidem venerabili domui. Oeconomis vero & ordinatoribus clericorum, & chartulariis ubicumque venerabilium domorum conſtitutarum, aut parentibus eorum & filiis, & quibus ſecundum genus aut ſecundum matrimonii jura conjunguntur, locationes, aut emphyteuſeis, aut emptiones, aut hypothecas rerum immobilium ipſis venerabilibus domibus competentium ſubire aut per ſe, aut per interpoſitam perſonam, ſecundum quod & iis, qui in regia civitate ſunt, prohibemus.

CAP. VIII. [4]

Si emphyteuta eccleſiæ per biennium in ſolvendo canone ceſſaverit.

SI [5] vero quis aut locator aut emphyteuta alicujus rei competentis aut ſanctiſſimæ majori eccleſiæ, aut alteri venerabili domui in quolibet loco noſtræ reipublicæ conſtitutæ, aut deteriorem faciat rem, quam quidem aut accepit, aut poſt hoc acceperit, aut per biennium [6] non intulerit quod ab eo promiſſum eſt emphyteuticum aut locationis canonem: damus licentiam venerabili domui ex qua locatio aut emphyteuſis facta eſt, & quæ debentur ſolum pro præcedente tempore, & antiquum ſtatum locatæ ſive emphyteuticæ rei exigere, & ejicere de emphyteuſi, ſive de locatione, non [7] valentem de emponematis actionem aliquam contra venerabiles domos movere. Si vero noluerint prædicti ordinatores expellere eum, exigi quidem eum præcipimus quæ pro locatione ſive emphyteuſi debere cognoſcitur: usque ad definitum vero tempus completum, ſibi datam rem tenere eum, & quæ placita ſunt dare. Si vero refugiat, licentiam præbemus præpoſitis eorundem venerabilium locorum indemnitatem venerabilibus domibus de ejusdem rebus fieri, non valente neque hic de emponematis [8] aliquid prætendere.

CAP. IX.

Ut liceat pro redemptione captivorum res immobiles eccleſiæ alienare.

SAnctiſſimas vero eccleſias [9] [omnes ſeu œconomos] civitatum præcipimus alienare res immobiles pro captivorum [10] redemptione: niſi [11] ſub hac conditione poſſeſſiones aliqui eis dederint: ut nullo modo has alienent. Hoc autem concedimus, ut Hieroſolymorum [12] ſanctiſſima eccleſia licentiam habeat domos competentes ei non poſitas in eadem ſancta civitate vendere, non minori pretio quam de penſionibus ejus in quinquaginta [13] annis colligitur: ut ex earum pretio reditus meliores emat. Si vero quidam cuilibet venerabili domui, ſive in hac regia civitate, ſive in provinciis poſitæ ſteriles [14] poſſeſſiones donaverint, aut vendiderint, aut alio modo conceſſerint, aut dereliquerint: jubemus pro talibus rebus nullam læſionem ſuſtinere venerabilem domum in quam hujusmodi poſſeſſiones pervenerunt: aut fiſcalium nomine, aut alterius cujuslibet cauſæ gratia prægravari: ſed omne hujusmodi onus in dantes & eorum heredes recurrere: neceſſitatem habentibus recipere datas hujusmodi poſſeſſiones, & reſtituere de propria facultate venerabili domui omne damnum quod ex hujusmodi occaſione ei contigerit. Si vero [15] etiam talis dolus in re ſubſecutus eſt, ut aliquæ pecuniæ pro hoc venerabili domui darentur, & eas jubemus in proprium lucrum venerabilem domum habere, ſteriles vero res ei, qui dedit & heredibus ejus omnino reſtitui. §. 1. Ad hæc jubemus, ut nulla [16] neceſſitas ſanctiſſimis eccleſiis, vel aliis venerabilibus locis tam in regia civitate, quam in omnibus reipublicæ noſtræ provinciis poſitis inferatur, poſſeſſiones ſteriles aut frugiferas ubilibet conſtitutas emere: ut non inveniantur per hanc occaſionem, & quas habent perdere, aut debitis obnoxiare. Si vero quis voluerit rem immobilem nomine [17] uſus accipere ab aliqua prædictarum venerabilium domorum (ſecundum [18] quod ſuperius de venerabilibus domibus, quæ in regia civitate ſunt poſitæ, diſpoſuimus) non aliter hoc accipiat, niſi aliam mox rem dominii jure præſtiterit venerabili domui, a qua eandem rem acceperit, tantum habentem reditum, quantum habet res quæ ei datur, & non majoribus tributis gravatam: quatenus poſt ejus tranſitum, aut tempus in quo datio uſus eſt placita, non tranſcendens ſcilicet ejus qui acceperit vitæ tempus: utramque rem integro jure, & ſecundum dominium & ſecundum uſum in ipſam venerabilem domum pervenire. Et hoc quidem de immobilibus rebus jubemus.

CAP. X.

De ſacris vaſis cujusque eccleſiæ vel oratorii.

DE ſacris autem [19] vaſis competentibus ſanctiſſimæ majori eccleſiæ regiæ civitatis, aut aliis venerabilibus oratorii domibus, in qualicunque loco noſtræ reipublicæ poſitis, generaliter conſtituimus, ut non aliter hæc vendantur, aut ſupponantur, niſi pro captivorum redemptione. Si [20] vero ſunt plura vaſa in aliqua memoratarum venerabilium domorum, nullum neceſſarium uſum facientia, & contigerit hujusmodi venerabilem locum debitis aggravari, & non ſint aliæ manifeſtæ mobiles de quibus debeant debita reddi: licentiam ei damus geſtis monumentorum (ſicuti ſuperius dictum eſt) conſtitutis prædicta ſuperflua vaſa [21] aut aliis venerabilibus locis neceſſaria [non [22]] habentibus vendere, aut conflare, & ſimiliter vendere, & eorum pretium in debitum præbere: ut [23] non immobiles res alienentur.

CAP. XI.

Quibus pœnis ſubjiciantur qui præſentem conſtitutionem violaverint [24].

SI [25] vero præter hæc quæ inſerta ſunt præſenti legi, contractus fiat ſuper competentibus rebus mobilibus & immobilibus uni memoratarum venerabilium domorum, reddi quidem eidem ſanctiſſimæ eccleſiæ quod ſemel domui rem ſuper quam tale aliquid ſubſecutum eſt, cum medii temporis fructibus: maneat autem apud eam, & pretium aut antidorum [26], aut quod pro permutatione, aut alia qualibet occaſione datum eſt ei. Si vero emphyteuſis agatur præter hæc quæ diſpoſita ſunt a nobis, reddi ſanctiſſimæ eccleſiæ, ſive venerabilibus domibus vel locis eandem rem jubemus, & emphyteuticum, ſecundum quod [27] placitum eſt, dare, & pactum finiri ſecundum virtutem emphyteuticarium inſtrumentorum. Si vero donent res eccleſiaſticas, aut alterius venerabilis domus, & hanc reddi ſanctiſſimæ majori eccleſiæ, aut aliis venerabilibus domibus cum medii temporis fructibus, & tantum aliud quantum valebat ipſa res. Si vero hypothecæ contra hæc fiant, creditor quod ei debetur, perdat, & res venerabili loco reddatur: tabellionibus [28] præſumentibus præter hanc noſtram legem talibus miniſtrare inſtrumentis, perpetuo [29] exilio condemnandis. Si vero aliquid ante hanc noſtram legem ſecundum antiquas conſtitutiones factum eſt: hoc jubemus omnibus modis propriam virtutem habere. Omnia vero quæ contra antiquas leges facta ſunt, revocari ſancimus, & res quæ contra virtutem earum data eſt, venerabilibus domibus reddatur, & de cætero ſecundum præſentem legem omnia fieri diſponimus: vacantibus poſthac aliis omnibus conſtitutionibus quæ ſuper talibus caſibus dudum loquebantur.

EPILOGUS.

† Eminentia igitur tua, quæ per præſentem legem in perpetuum valitura noſtra ſanxit tranquillitas, inconvulſa obſervare feſtinet: edicto in ſolennibus & legitimis locis per decem dies propoſito: & nullo pro tali occaſione in provincias deſtinando. Nos enim providemus quali modo ſine collatorum læſione omnibus præſens noſtra generalis conſtitutio manifeſta fiat. Dat. 7. Id. Maji, *Conſtantinop.* DN. JUSTINIAN. PP. Aug. [30] BASILIO [31] V. C. CONS.

TIT. IV.

UT PARTICULARES [32] USURARUM SOLUTIONES IN [33] DUPLUM COMPUTENTUR.

NOVELLA CONSTIT. CXXI.

Imp. Juſtin. Auguſt. Baſilio præſidi Tarſi.

PRÆFATIO.

CUm decuriones videmus nobis inſtare precibus, & libenter iis indulgeamus: merito ſane legibus contrarias artes, & per fraudem excogitatas confeſſiones valere non concedimus.

CAP. I.

DOcuerunt enim potentiam noſtram Euſebius, & Aphthonius, qui Demetrio nepotes extiterunt, necnon Palladio Demetrii filio: quod is Demetrius Artemidoro per cauſam mutui quingentos aureos debuerit, in quam ſummam etiam uſuras ſtipulatus ſit. Nuper [34] vero ſacram prodiiſſe formam, quæ voluerit, *ſi duplum debiti ſolvatur, ut nulla contra ipſos ſecundum leges noſtras ſuperſit exactio.* Artemidori autem creditoris ſucceſſores Epimachum, & Artemonem dixiſſe, *mentitos* [35] *ipſos in precibus neque ipſos noſtro dignandos auxilio: cum debito plene ſatisfactum non fuerit, ſed ſoli* [36] *nongenti quadraginta novem aurei perſoluti ſint.* Ajunt enim ſupplices, partem ſuam Palladium una cum Demetrio patre ſuo & Paulo octingentos ſexaginta ſeptem ſolviſſe aureos. Sed Artemonem & Priſcianum Artemidori filios, qui Epimachi & Artemonis illius alterius avus fuit, dixiſſe *particularem ſe ſolutionem ſorti non adjungere,*

1 Hinc ſumpta eſt Authent. *Multo magis. C. de ſacr. eccleſ.* vid. Julian. *hic n.* 412. *Novell.* 7. *cap.* 11. 2 Hinc ſumpta eſt Authent. *Item prædium. C. de ſacr. eccleſ.* 3 Res eccleſiæ (non tamen majoris, quæ eſt Conſtantinopoli) oneroſa diſtrahi poteſt. v. *c.* 4. ǯ. *hic.* 4 Vide Julian. *hic num.* 413. 5 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Qui rem. C. de ſacroſ. eccleſ.* 6 Vide *l.* 2. *Cod. de jure emph.* 7 *Nov.* 7. *cap.* 3. §. 2. 8 Emponemata, meliorationes. 9 Pro his incluſis ita legito ex Græcis ταῖς δὲ ἁγιωτάταις ἐκκλησίαις Ὀδήσσου, καὶ Τωμέως τῶν πόλεων ἐπιτρέπομεν. *Scrimg.* eccleſiis [illegible]

ſed omnia velle reputari in uſuras, hæc item innuere ſententiam provinciæ præſidis, & propterea exegiſſe Palladium pro priore quingentorum aureorum fœneratitia ſyngrapha alteram aureorum ſexingentorum. Solviſſe autem ipſi (inquiunt) diverſis temporibus, & Palladium aureos ſeptuaginta duos, & Euſebium atque Aphthonium decem, ut inde colligatur nongentorum quadraginta novem aureorum ſumma. Eum vero qui controverſiæ audientiam præbuerat, cum in animo non revolveret, quod totius accuſationis eadem cauſa eſſet: non admiſiſſe ipſos, ſed voluiſſe in ſexingentos eos aureos ſortis condemnare. Petieruntque, ut hac neceſſitate eximerentur: & collecto univerſo debito quingentorum aureorum, ſi quinquaginta unum adhuc ſolverent, qui reliqui eſſent ad mille ſolidorum quantitatem, tam univerſo debito liberarentur, quam fœneratitiam ſexingentorum aureorum ſyngrapham reciperent.

CAP. II.

CUm igitur leges [1] noſtræ nihil ultra [2] duplum ſolvi velint: & nos in hoc tantum differentiam habeamus cum prioribus, quod illæ quidem debita conſtituant usque ad duplum, ſi nulla particularis facta fuiſſet ſolutio: nos vero recipiamus, ut particulares etiam ſolutiones debita diſſolvant, ſi usque ad duplum pertingant: ſancimus ut ſecundum hoc fiat computatio: & ſi tantum hi perſolverint, quantum adhuc ad mille aureos deeſt, recuperent etiam fœneratitiam ſexingentorum aureorum ſyngrapham, ne debitum ex hac cauſa multipliciter exigi deprehendatur.

EPILOGUS.

† Quæ itaque nobis placuerunt, & per hanc ſacram pragmaticam declarantur formam, ea ſtudeto magnificentia tua effectui & fini tradere, tam ea interpretatione, quæ de hac cauſa in ſententiis, quorum ſupplices meminerunt, facta eſt, abolita: quam omnibus quæ per obreptionem & ex una tantum parte confecta ſunt, aut conficientur, vacantibus. Divinitas te ſervet per multos annos, frater jucundiſſime. Dat. 17. Kal. Maji, *Conſtantinop.* BELIS. V. [3] C. CONS.

TIT. V.

EDICTUM [4] PIENTISSIMI DOMINI NOSTRI JUSTINIANI DE FORMULA [5] ARTIFICUM.

NOVELLA CONSTIT. CXXII.

PRÆFATIO.

COgnovimus, quomodo poſt caſtigationem Domini Dei benignitate immiſſam, qui negotiationes & ludos literarios [6] exercent, diverſi etiam generis artifices & agricolæ, inſuper & nautæ, cum potius meliores fieri deberent, lucri cupiditati ſe dediderint, & duplicia tripliciaque pretia ac mercedes præter veterem conſuetudinem requirant.

CAP. I.

VIſum igitur eſt per ſacrum edictum omnibus interdicere deteſtandam iſtiusmodi avaritiam, & ne quis in poſterum cujuscunque diſciplinæ aut artis magiſter, qualiscunque etiam negotiationis negotiator, qualiscunque demum agriculturæ agricola, quam vetus conſuetudo ferat, plus pretii mercedisve nomine exigat, jubemus vero etiam ut [7] ædificiorum, & colendæ terræ, aliorumque operum menſores nihil amplius operariis imputent, & illis antiquam conſuetudinem conſervent. Hæc autem obſervare jubemus & eos qui qualiacunque opera demandant, & eos qui aliqua redimunt. Si quidem nec ipſis amplius quam more conſtitutum ſit, dare concedimus. Sciant vero qui quicquam amplius, quam pro veteri conſuetudine requirunt, quod triplicem quantitatem in fiſcum inferre cogentur, ſi ſupra id quod ab initio conſtitutum fuerit, cepiſſe illos quicquam aut dediſſe oſtenſum ſit.

EPILOGUS.

† Hæc porro inquiri ac vindicari jubemus & ab excellentia tua & a glorioſiſſ. felicis hujus urbis præfecto. Volumus enim per vos ab hujus noſtri edicti transgreſſoribus conſtitutam multam exigi, pœnisque illos ſubdi: ita ut quæ vobis parent cohortibus, quinque librarum auri multa incubitura ſit, ſi quid ex iis quæ a nobis conſtituta ſunt, neglectum fuerit. Dat. 2. Kal. Apr. *Conſtantinop.* DN. JUSTIN. PP. Aug. poſt [8] BELIS. V. C. CONS.

TIT. VI.

DE SANCTISSIMIS EPISCOPIS [9] ET DEO AMABILIBUS ET REVERENDISSIMIS CLERICIS, ET MONACHIS.

NOVELLA CONSTIT. CXXIII.

Imperator Juſtinianus Auguſtus Petro glorioſiſſ. magiſtro ſacrorum noſtrorum officiorum.

PRÆFATIO.

DE gubernatione, & privilegiis, aliisque diverſis capitulis ad ſanctiſſimas eccleſias, & alias venerabiles domos pertinentibus, jam quædam diſpoſuimus [10]: ſuper ſanctiſſimis autem epiſcopis, & clericis, & monachis dudum in diverſis conſtitutionibus diſpoſita cum competenti correctione hac comprehendere lege proſpeximus.

In editionibus Haloandrinis duæ hic paginæ infarciuntur, quæ nec in Scrimgeriana editione, nec in meis manuſcriptis reperiuntur. Contius.

CAP. I.

De ordinatione epiſcoporum [11].

SAncimus igitur quoties opus fuerit epiſcopum ordinari, clericos & [12] primates civitatis cujus futurus eſt epiſcopus ordinari, mox in tribus [13] perſonis decreta facere, propoſitis eis ſacroſanctis evangeliis, *periculo ſuarum animarum* dicentes in ipſis decretis: *quia neque propter aliquam donationem* [14], *neque propter aliquam promiſſionem, aut amicitiam, aut aliam quamlibet cauſam, ſed ſcientes eos rectæ & catholicæ fidei* [15], *& honeſtæ* [16] *eſſe vitæ, & literas* [17] *noſſe, hos elegerunt: & quia neque* [18] *uxorem, neque* [19] *filios* [20] *aliqui eorum habent, neque concubinam* [21] *aut filios naturales* [22] *cognoſcunt eos habuiſſe* [23], *aut habere:* ſed & ſi prius *uxorem aliquis ex eis habuit ipſam & unam* [24], *& primam* [25], *& neque viduam* [26], *neque viro conjunctam* [27], *neque legibus* [28] *aut ſacris conſtitutionibus* [29] *interdictam, ſed & quod neque curialem* [30] *aut officialem hunc eſſe cognoſcunt, aut ſi curiali vel officiali ſubjacet fortunæ, ſciunt eum in monaſterio non minus quindecim* [31] *annis monaſticam converſationem impleviſſe.* §. 1. Hoc quoque decretis oportet inſeri, *quia non minus quam trigintaquinque* [32] *ætatis annos habet is, qui eligitur ab eis qui cognoſcunt perſonam:* ut ex trium perſonarum pro quibus talia decreta facta ſunt, melior ordinetur electione & periculo ordinantis. Curialem vero vel officialem, qui, ſicut dictum eſt, quindecim [33] annis in monaſterio converſatus eſt, & ad epiſcopatum provocatus, liberum eſſe propria fortuna: ita tamen, ut liberatus a curia, quartam partem ſuæ ſubſtantiæ ſibi retineat: reliquis ejus rebus ſecundum noſtram legem curiæ & fiſco vindicandis. §. 2. Damus autem licentiam decreta facientibus, ſi quempiam laicorum præter curialem & officialem [34], dignum memorata electione eſſe putent: hunc cum aliis duobus clericis aut monachis eligere: ut ſi laicus [35] hoc modo ad epiſcopatum eligatur, non repente epiſcopus ordinetur, ſed primo clericis non minus tribus menſibus connumeretur, & [36] ita ſanctas regulas & cotidianum eccleſiæ miniſterium edoctus, epiſcopus ordinetur. qui enim alios debet docere [37], poſt ordinationem ab aliis doceri non debet. Si vero (ut evenit in quibusdam locis) non inveniantur tres perſonæ ad talem electionem opportunæ, liceat decreta facientibus in duabus & in una perſona decretum facere: eos tamen omnes jam dictas a nobis habentes teſtationes. Si vero qui debent epiſcopum eligere, citius ipſa decreta intra [38] ſex menſes non faciant: tunc periculo propriæ animæ ille, quem competit ordinare epiſcopum, ordinet, omnibus aliis quæ diximus obſervandis. Si quis autem citra memoratam obſervationem epiſcopus ordinetur, jubemus hunc omnibus modis epiſcopatu depelli [39]. Sed etiam illum qui præter hoc præſumpſerit ordinare, ſegregari [40] uno anno a ſacro miniſterio, & omnem ejus ſubſtantiam, quæ quolibet tempore aut modo in ejus dominium deducta eſt, propter culpam quam fecit, dominio eccleſiæ cujus epiſcopus eſt, vindicari.

CAP. II.

De accuſatoribus epiſcoporum [41].

SI quis autem electum ad ordinationem epiſcopatus accuſaverit in qualibet cauſa quæ poſſit ſecundum leges [42] aut canones ejus impedire ordinationem, differatur hujusmodi ordinatio: & prius contra eum propoſitam cauſam ſive præſente accuſatore [43], & ab eo propoſitam cauſam exequente, ſive etiam deficiente per tres menſes ſuam accuſationem implere: diligenter examinari ab illo a quo futurus erat epiſcopus ordinari: & ſi quidem obnoxium eum accuſator invenerit, prohibeatur ordinatio. Si vero obnoxius non oſtendatur, ordinatio quidem non impediatur: accuſator autem, ſive non probaverit, ſive etiam fugit propoſitam a ſe accuſationem, a provincia in qua habitat abjiciatur. Si quis autem ante examinationem accuſatum ordinaverit, ordinatus quidem a ſacerdotio repellatur: qui vero talem ordinare feſtinaverit, ſuperius dictæ ſubjaceat pœnæ, tam annali [44] prohibitioni ſacri miniſterii, quam etiam ut omnes ejus res eccleſiæ vindicentur. §. 1. Præ [45]

1 Vid. *l. pen. C. de uſuris: Eclog. d. cap.* 72. & 73. 2 Id uti fieret, vide apud Molinæum *tractat. de uſur. n.* 47. ibi, Ex prædictis generaliter ſequitur, quod, quanquam uſuræ lapſu temporis ſortem æquaverint, quod tunc ſive fuerint ſolutæ, ſive non, ſtatim ipſo jure deſinunt currere. Et ſi de facto continuetur ſolutio, quidquid deinceps ſolvitur, ſorti imputatur, & cum iterum ſummam ſortis, & ſic ejus duplum æquaverint, ipſo jure liberatur debitor & a ſorte & ab uſuris. Idem, ſi poſtquam ſupra ſortis quantitatem ſolvi cœperint, debitor ſortis reſiduum repræſentare & offerre velit. Hæc ille. 3 Id eſt, anno 541.
4 Vid. 6. *Edict. Juſtinian.* Goth. Vid. ad hanc Novell. Ritterſhuſ. *part.* 3. *c.* 12. Anſ. 5 De diſpoſitione artificum, *Index Reginæ.* 6 Μεθοδείας, quo nomine intellige conventus hominum, & mercatus. 7 Vetat Juſtinianus, agricolas, nautas, artifices, negotiatores, pretii mercedisve nomine plus more veteri exigere: quinimo vetat, ut locent operas κατὰ τὴν παλαιὰν διατύπωσιν. ſic enim legendum, non ut Haloander ex *epitome Theodori* κατὰ τὴν πράσεως διατύπωσιν, id eſt, ſecundum actionis formulam. 8 Id eſt, anno 541.
9 De epiſcopis & clericis. *Index Reginæ.* vid. *l.* 1. *Cod. Theod.* 3. Hæc conſtitutio de eccleſiaſticis diverſis capitulis loquitur. Jul. *conſt.* 115. περὶ ἐκκλησιαστικῶν διαφόρων κεφαλαίων. *Scr.* Goth. In cap. Eccleſia Sanctæ Mariæ 10. *extr. de conſtit.* aufertur laicis omnis facultas diſponendi de rebus Eccleſiaſticis. Quapropter quæ in hac *Nov.* 123. & *tit. Cod. de ſumm. Trinit.* it. *de Epiſcop. & clericis.* rurſus quæ ſub *tit. de Epiſc. aud.* ſtatuuntur, ſunt contra Jus Canonicum. *Anſ.* 10 *Novell. ſc.* 6. 11 De epiſcopi conſecratione. Jul. *hic num.* 429. adde *Nov.* 137. ǯ. Goth. Diverſa circa electionem epiſcopi forma præſcribitur *cap. quia propter. extr. de elect.* Anſ. 12 Καὶ τοὺς πρώτους τῆς πόλεως. Laici proinde jus habent ſuffragii in nominandis ſeu eligendis epiſcopis, adde *Nov.* 6. *c.* 1. quod eſt notandum, qua de re dicemus alibi plenius. 13 Quid ſi tres non reperiantur? duos ſufficiet nominaſſe. *cap.* 2. ǯ. *leg.* 42. *Cod. de epiſc.* Eſt ergo hoc notandum, tres aut ſaltem duos probatæ vitæ & morum nominari a clericis & primatibus civitatis, ut ex eis eligatur epiſcopus, adde quæ ſcripſi ad *l.* 1. *C. de tutorib. & curatoribus illuſtrium.* vid. Sidon. 4. Epiſt. 25. 14 Teſtis eo nomine poteſt recuſari, ſi dicatur ad teſtimonium dicendum donatione, promiſſione, amicitia, aut cauſa non abſimili perductus. 15 Hoc abrogatur Novella Leonis. Doctrina fidei orthodoxæ in epiſcopo eſſe debet & ut apoſtolus jubet, Epiſcopum oportet ἀντεχόμενον τοῦ κατὰ τὴν διδαχὴν πιστοῦ λόγου. *ad Tit.* 1. *verſic.* 9. διδακτικόν. 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 2. *in fin.* & idem diaconos vult ἔχειν τὸ μυστήριον τῆς πίστεως. *ibid. verſ.* 9. 16 Oportet eundem habere teſtimonium ab extraneis fidei 1. *Tim.* 3. *verſ.* 7. adde *l.* 42. *Cod. de epiſc.* 17 Γράμματα, ita ut non ſit ignarus. *diſt.* 38. *Novell.* 6. *c.* 1. §. 2. Linguarum cognitione inſtructos eſſe oportet beneficiarios, vid. Duar. 1. *de ſacris* 2. 18 Uxorem habens vetatur hic Epiſcopus fieri. 19 Liberos habens Epiſcopus eligi non debet, vid. *epiſt.* 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 4. 5. & *Tit.* 1. *verſic.* 6. *Novell.* 6. *cap.* 1. §. 4. 20 Concubina eſt quaſi uxor, vide quæ dixi ad *l.* 3. *in fin. ff. de concubinis.* 21 Naſcuntur enim illi ex concupiſcentia. *Novell.* 74. *c.* 1. 22 Nota eſt, non tantum habere, ſed habuiſſe concubinam aut liberos naturales. *Nov.* 6. *c.* 1. §. 4. 23 Loquitur de primo bigamiæ genere, quoties uno eodemque tempore duas vel plures quis habet uxores, vid. *epiſt.* 1. *ad Tim.* 3. *verſ.* 2. *ad Tit.* 1. *verſic.* 6. adde 26. *diſt. Nov.* 6. *c.* 1. §. 3. 24 Loquitur de ſecundo genere bigamiæ, quoties mortua priore uxore, alteram quis ducit. 25 Cur primam dixit? forte minus honeſta exiſtimatur, quæ ſecundo nubit. Hæc tamen ratio ſive inſpectio, minus honeſta eſt. 26 Separatam a viro. 27 Vid. *tit. Cod. de inceſt. nupt.* 28 Canonibus, forte ſcenicam intelligit. Jul. *hic.* 29 Vid. *diſt.* 51. 52. 53. 30 Curialis 15. annis purgatus monaſtica converſatione ſc. fieri poteſt epiſcopus, *ut hic,* & §. 1. ǯ. alias epiſcopatus eſt incapax *l.* 4. *l.* 12. *Cod. de epiſc.* 31 *l.* 2. *Cod. de epiſc.* 32 Anno 35. ætatis ordinari quis epiſcopus poteſt, hodie 30. ut *Nov.* 137. *c.* 2. adde *diſt.* 78. 33 Dixi ǯ. 34 Taxeotam, Jul. *hic.* 35 Ex laico fieri quis epiſcopus poteſt, ſi tamen trimeſtre prius inter clericos fuerit. 36 Nota, ignarum ſanctarum regularum quotidianique miniſterii, epiſcopum eligi poſſe, ſi modo ſpes in eo ſit, ut brevi Canones & regulas Eccleſiaſticas addiſcat. 37 Inſtituendus ab alio inſtituere non poteſt alios. 38 Sedes epiſcopalis ultra ſex menſes vacare non debet. De collegio eccleſiaſtico, vacante ſede epiſcopali, vid. Duar. 5. *de ſacr.* 6. Viglium 3. *method. juris Pontif.* 2. 39 Illegitime electus non fruitur epiſcopatu. 40 Pœna epiſcopi, alium illegitime ordinantis. 41 Vid. Jul. *hic n.* 430. & 3. *Eclog.* 1. *c.* 2. *Nov.* 137. *cap.* 3. 42 Removetur quis ab adipiſcendo epiſcopatu legibus, aut canonibus. 43 *Nov.* 6. *cap.* 1. §. 10. Forte petitum eſt ex illo loco 1. *Tim.* 5. *verſic.* 19. κατὰ πρεσβυτέρου κατηγορίαν μὴ παραδέχου· ἐκτὸς εἰ μὴ ἐπὶ δύο ἢ τριῶν μαρτύρων. 44 Τῇ ἐνιαυσιαίᾳ κωλύσει τῆς θείας λειτουργίας. *Scrimg.* 45 Jul. *hic n.* 241. ut nulla pecunia data epiſcopi conſecrentur.

omnibus illud ſervari ſancimus, ut nullus per ſuffragium [1] auri, aut aliarum rerum, epiſcopus ordinetur. Si quid autem tale committatur, ipſi ſemetipſos, & [2] dantes [3] & accipientes [4], & mediatores [5] eorum, ſecundum ſacras ſcripturas & ſanctas regulas damnationi ſubjiciunt: & propterea qui dat, & qui accipit, & mediator ejus factus, ſacerdotii aut clerici honore removeatur: quod autem pro hac cauſa datum eſt, eccleſiæ illi vindicetur, cujus voluit ſacerdotium comparare. Si vero laicus [6] forte pro hac cauſa aliquid accipiat, aut mediator rerum factus eſt: datas res in duplum eum exigi jubemus, eccleſiæ vindicandas. Non ſolum autem quæ ſecundum hunc modum dantur, vindicari præcipimus: ſed etiam omnem cautionem [7] pro hoc quolibet modo expoſitam, & pignorum vel fidejuſſorum dationem, vel oblationem, & omnem quamlibet aliam cautionem vacare ſancimus. Et qui ſuper hoc promiſſionem accepit, non ſolum profeſſionem [8] reddat: ſed etiam aliud tantum quantum profeſſio continet, exigatur, quod debet eccleſiæ dari.

CAP. III.

Si quis epiſcopus ante ordinationem [9] vel poſtea eccleſiæ res ſuas obtulerit: & quid pro cathedratico dari conveniat.

SI quis autem epiſcoporum ſive ante ſuam ordinationem, ſive poſt ordinationem voluerit proprias res, aut partem earum eccleſiæ offerre cujus ſacerdotium accepit, non prohibemus, & omni condemnatione & pœna præſentis legis liberum eum eſſe ſancimus: ſed etiam omni laude dignum judicamus: quoniam hoc non eſt emptio, ſed oblatio [10]. Pro conſuetudinibus autem illa ſola permittimus præberi ab ordinatis epiſcopis, quæ ſubſequenter præſenti legi inſerta ſunt. Jubemus igitur beatiſſimos archiepiſcopos & patriarchas, hoc eſt [11] ſeniores Romæ, & Conſtantinopoleos, & Alexandriæ, & Theopoleos [12], & Hieroſolymorum, ſiquidem conſuetudo [13] habet epiſcopis [14] & clericis [15] in eorum ordinatione, non minus quam viginti auri libras dari, ipſa ſolummodo præberi, quæ conſuetudo [16] recognoſcit: plus autem ab hac quantitate nihil ſupra viginti auri libras præberi. metropolitas autem a [17] propria ſynodo [18], aut a beatiſſimis patriarchis ordinatos, & alios omnes epiſcopos, qui aut a [19] patriarchis aut a metropolitis ordinantur, dare [20] pro inthroniſticis [21] quidem ſolidos centum: notariis autem ordinantis, & aliis miniſtrantibus ei, & ſolenniter accipientibus ſolidos trecentos. Si vero eccleſiæ reditus minus quidem quam triginta [22] auri libras per annum [23] reddant, non minus autem quam decem: dari pro inthroniſticis [24] ſolidos centum: aliis autem omnibus, qui ex more capiunt, ſolidos cc. Si vero minus quidem quam decem, non minus autem quinque auri libras eccleſiæ reditus eſſe contigerit: pro inthroniſticis [25] quidem dari ſolidos quinquaginta: omnibus autem aliis ex conſuetudine percipientibus, ſolidos ducentos. Si autem minus quam quinque, non minus autem duas auri libras eccleſiæ reditus habeat, pro inthroniſticis [26] ſolidos decem & octo: omnibus autem aliis ex conſuetudine percipientibus ſolidos XXIV. Si autem minus tres, non autem quam duas auri libras quantitas redituum eccleſiæ comperiatur, dare pro inthroniſticis [27] quidem ſolidos duodecim, pro omni vero alia conſuetudine ſolidos ſex. Epiſcopum enim eccleſiæ minus [28] duas auri libras reditus habentem, neque pro inthroniſticis [29], neque pro alia qualibet conſuetudine dare aliquid permittimus. Hæc autem quæ præberi diſpoſuimus [30], primus presbyter [31] ordinantis epiſcopi & archidiaconus [32] ſuſcipientes, ex conſuetudine percipientibus dividant hæc. Igitur jubemus hæc omnibus modis obſervari: ut non ex talibus occaſionibus eccleſiæ debitis prægraventur, & ſacerdotia venalia [33] fiant. Si quis autem ultra quantitatem a nobis definitam pro inthroniſticis [34] aut conſuetudinibus quolibet modo præſumat accipere: jubemus quicquid plus acceperit, triplum [35] ex rebus ejus vindicari eccleſiæ dantis. Sed hæc quidem pro epiſcoporum ordinatione dicta ſint.

CAP. IV.

Ut epiſcopatus a ſervili, & adſcriptitia [36] fortuna [37] hominem liberet.

POſt [38] ordinationem vero ſervili & adſcriptitia fortuna epiſcopos liberos eſſe præcipimus, niſi curiales aut officiales citra prædictam obſervationem ordinentur: tales enim epiſcopatu remotos, curiæ aut officio reſtitui jubemus: ut non ex tali fortuna ſacerdotio fiat injuria. Illos autem qui ante hanc noſtram legem ex curiali fortuna inveniuntur epiſcopi ordinati, hujusmodi quidem fortuna liberos eſſe ſancimus: legitimam vero partem ex propriis rebus curiæ, & fiſco dare: ſic tamen, ut nullam imminutionem eccleſiaſtica jura ſuſtineant in rebus, quas in epiſcopatu acquiſitas, eccleſiæ eorum competere diſpoſuimus. Si vero contigerit ordinatum epiſcopum ſub proprii parentis poteſtate eſſe: ex ipſa ordinatione ſuæ poteſtatis ſit.

CAP. V.

De presbyteris, & diaconis, & ſubdiaconis cognationis jure ad tutelam vel curam vocatis [39].

DEo [40] autem amabiles epiſcopos [41] & monachos, ex nulla lege tutores, aut curatores cujuscunque perſonæ fieri permittimus: presbyteros [42] autem, & diaconos, & ſubdiaconos jure & lege cognationis tutelam aut curam ſuſcipere hereditatis permittimus, proprio & ſolo gradu cognationis [43] ad tutelam & curam vocatis, hujusmodi ſuſcipere adminiſtrationem permittimus: ſi tamen intra quatuor menſes ex quo vocati ſunt, apud competentem judicem ſcripto declarent talem adminiſtrationem propria [44] voluntate ſuſcepiſſe. & ſi quis eorum forſan hoc fecerit, nullum ex hoc in [45] alia tutela aut cura præjudicium patiatur.

CAP. VI.

Ut clerici a muneribus perſonalibus & negotiis ſecularibus [46] abſtineant.

SEd neque fieri ſuſceptorem [47] aut exactorem fiſcalium functionum, aut conductorem [48] publicarum aut alienarum poſſeſſionum, aut curatorem [49] domus, aut procuratorem litis, aut fidejuſſorem [50] pro talibus cauſis epiſcopum, aut œconomum [51], aut alium clericum cujuslibet gradus, aut monachum proprio nomine, aut eccleſiæ, aut monaſterii ſinimus: ut non per hanc occaſionem & ſanctis domibus damnum fiat, & ſacra miniſteria impediantur [52]. Si autem eccleſiis aut monaſteriis poſſeſſiones quædam adjacentes [53] inveniantur, & voluerint diſpenſatores ipſarum venerabilium domorum in conductionem aut emphyteuſim has accipere: tunc omnibus clericis & monachis pro his cauſis in ipſo inſtrumento ſub geſtis monumentorum conſentientibus & manifeſtantibus pro utilitate venerabilium domorum hoc fieri: talem conductionem & emphyteuſim procedere ſinimus. Sed etiam ipſis ſanctiſſimis eccleſiis & aliis venerabilibus domibus damus licentiam conductiones & emphyteuſes facere ad [54] invicem: & clericis [55] ſimiliter propriarum [56] eccleſiarum poſſeſſiones conducere & gubernare, cum voluntate [57] tamen epiſcopi & œconomi permittimus: exceptis perſonis quas per aliam legem hoc facere prohibuimus. Si quis autem contra ea quæ dicta ſunt aliquid fecerit, ſi quidem epiſcopus fuerit, omnes ejus res ex qualibet cauſa vel perſona ſive ante epiſcopatum, ſive poſt hoc fuerint ad eum venientes, ejus eccleſiæ [58] vindicari ſancimus. Si autem œconomi, aut alii clerici fuerint hoc delinquentes: pecuniariam eos pœnam, qualem epiſcopus eorum probaverit, exigi, eccleſiæ vindicandam: cum etiam conductionem teloniorum, aut cujuslibet poſſeſſionis, aut publicarum collationum perceptionem, aut exactionem, aut ſolicitudinem domus eis credentes, aut fidejuſſores eos pro memoratis cauſis ſuſcipientes: nullam contra eccleſiam, aut monaſterium, aut res ejus, aut gubernantium, aut contra illas perſonas quibus crediderint, aut contra facultates aut fidejuſſores eorum habeant actionem. Illi vero qui publicarum collationum aut tributorum ſuſceptionem, aut conductionem, aut exactionem memoratis perſonis crediderint, aut fidejuſſores eos acceperint: ſi quod publico damnum contingat, hoc ex [59] propria facultate reſtituere compelluntur.

1 Vid. *Novell. 6. cap.* 1. §. 5. dicam de eo plenius *ad cap.* 16. *J. hic.* 2 Relatorum eadem natura, vetatur aliquis dare, ergo & accipere, vid. *l. ult. in fin. C. ad l. Jul. repet.* prohibitum eſt docere, ergo & diſcere. *l.* 8. *C. de maleſic.* 3 Pœna ementis epiſcopatum. 4 Pœna vendentis epiſcopatum. 5 Καὶ ὁ μέσος. Pœna proxenetæ epiſcopatus venditi. Et hoc quidem notandum eſt adverſus proxenetas rerum turpium. Proxenetæ ſacerdotiorum Galli *Courratiers & maquignons de benefices.* de proxenetis rerum illicitarum adde *l. ult. ff. de proxenetis.* 6 Κοσμικὸς, id eſt, mundanus: perinde ac ſi diceret, clericorum vitam cœleſtem eſſe. Iidem mundani, laici *Nov.* 6. *cap.* 1. §. 2. quaſi ex plebe, ut eorum intuitu, clerici quaſi patricii quidam vel ſenatores eſſe videantur: unde & laicorum vita ſecularis converſatio dicitur *l.* 56. *C. de epiſc.* 7 Vendere prohibitus, in fraudem venditionis cautionem, fidejuſſorem vel pignus, jure accipere non poteſt, fraus enim fit legibus, quoties ab uno contractu prohibito ad alium pervenitur. dixi ad *l.* 5. *C. de legibus.* 8 Ὁμολογίαν. *Scrimg.* cautionem, Jul. *hic.* 9 Conſecrationem. vid. Jul. *hic num.* 431. 10 Cur ita? quia quod datur ab eligendo vel electo epiſcopo, datur ipſi eccleſiæ, non alicui privato. 11 Ita legitur apud Julian. *hic*, id eſt, Papam Romanum, & Conſtantinopolitanum, & Alexandrinum, Theopolitanum, id eſt, Antiochenum & Hieroſolymitanum, ut hinc poſſis colligere, Papæ appellationem Epiſcopis primarum ſedium tributam fuiſſe, adde quæ dixi ad *l.* 7. *C. de ſumm. trin.* 12 Id eſt, Antiochiæ, Jul. *hic.* dixi ad *l.* 6. *in fin. C. de ſumm. trin.* 13 Nota hæc diligenter eſt ſervanda, continens ea, quæ dantur a Papis ſeu patriarchis, a metropolitanis, ab epiſcopo, & a clericis pro ſuæ promotionis vel ordinationis gratia. Papæ ſeu Patriarchæ epiſcopis & clericis, a quibus eliguntur conſuetudinis nomine, id eſt, conſecrationis quaſi remunerandæ cauſa, dant non plus 20. auri libris, *ut hic*, id eſt, 1440. dant aureos. Metropolitani non dant Patriarchæ ſolidis plus centum: ejus notariis, non plus 300. J. Epiſcopi totidem ſuo metropolitano præſtant, niſi reditus eorum eccleſiæ minor ſit tribus libris auri, *infr. hic.* Clerici quantum præſtent vid. *c.* 16. J. 14 Papæ ordinantur & conſecrantur a clericis & epiſcopis. 15 Res eſt notanda, Papam ne quidem excipi a conſuetudinibus præſtandis pro ſua conſecratione. 16 Opinor hujusmodi dationes pecuniæ magis niti conſuetudine, quam ulla lege divina expreſſa, ac ſi diceret: Quæ dantur ab ordinato epiſcopo, dantur potius ex conſuetudine, quam lege: ut hinc poſſis colligere, *Annatas* eſſe juris poſitivi, non divini. 17 Nota a quibus ordinentur metropolitani. 18 Nota a quibus ordinentur epiſcopi. 19 Synodus poteſt ordinare metropolitanum & epiſcopum. An concilium œcumenicum beneficia conferat, & an ſubſit ei Romanus Pontifex; vide Duarenum 3. *de ſacris* 2. 20 Tota res eo redit. Papas ſeu patriarchas inthroniſtica dare iis epiſcopis, a quibus eliguntur: metropolitanos, patriarchis aut Synodo: epiſcopos metropolitanis. Et ita, non ad unam & eandem perſonam defertur jus inthroniſtici, aut cathedratici. puto tamen, ea potius omnia diſtributa a primo presbytero vel archidiacono. *in fin. J. hic.* diſtributa, inquam, in uſum eccleſiaſticum & pauperum, id enim erat munus diaconi. 21 Ὑπὲρ ἐνθρονιαστικῶν. *Scrimg.* pro cathedratico Jul. *hic*, & paſſim, *infr. hic.* 22 Id eſt, 4320. aureorum. 23 Quantitas cathedratici in divitibus admodum eccleſiis ad annuum reditum non redigitur, in aliis redigitur, ut hic. 24 Pro cathedratico. Jul. *hic.* 25 Cathedratico, Jul. *hic.* 26 Cathedratico, Jul. *hic.* 27 Id eſt, pro cathedratico, Jul. *d. loco.* 28 Duæ auri libræ 144. aurei, & hic quidem erat epiſcopatuum minimus reditus. 29 Cathedraticis. 30 Id eſt, inthroniſtica, cathedratica, conſuetudines, adde & inſinuativa & ἐμφανιστικὰ ex *Nov.* 56. 31 Πρῶτος πρεσβύτερος. de archipresbytero, vide Petrum Gregorium 15. *ſyntagm.* 21. *& præſertim num.* 13. ubi ex Capitulari Caroli Magni, *de pace conſt.* 25. refert, ad archipresbyterum notionem de incantatoribus & maleficis pertinuiſſe, adde quæ de primo presbytero dicam, J. *hic.* & Viglium 3. *meth. juris Pontif.* 11. *fol.* 616. *c. de archipresbytero &c.* 32 Ἀρχιδιάκονος. Primi presbyteri & archidiaconi officium inter cætera fuit, in eccleſia pecuniam diſtribuere, & ob id Novella Majoriani de epiſcopali judicio, Archidiaconus multam jubet ei inferre, quem fecerit clericum invitum epiſcopus. & Prudentius Laurentium, quem primum e ſeptemviris vocat, & archidiaconum (nam ſeptem tantum diaconi initio fuerunt) votas opes diſpenſaſſe ait, & ideo induſtriam in Archidiacono Hieronymus & Sidonius requirunt. Hieronymus Euagrio: Diaconi eligant de ſe, quem induſtrium noverint, & archidiaconum vocent. Sidonius Dominulo 4. Epiſt. 25. Joannes Archidiaconus in quo ſc. gradu, ſeu miniſterio retentus propter induſtriam, vid. *hic* Cujac. De aliis muneribus archidiaconi vide *extra. de offic. archidiaconi*, Petrum Gregorium 15. *ſyntag.* 20. Viglium 3. *meth. juris Pont.* 11. *C. de archidiaconis fol.* 612. 33 Res divini juris emi non poſſunt. §. 8. *Inſt. de rer. diviſ. &* §. 2. *Inſt. de inutil. ſtip. l.* 6. *ff. de contrahend. empt. l.* 83. §. 5. *ff. de verb. obl. l.* 1. §. 1. *ff. ad l. Jul. de ambitu.* 34 Pro cathedratico. 35 Pœna plus æquo accipientis cathedratici nomine. 36 Patria poteſtate dignitas epiſcopatus filium liberat. *Nov.* 81. *c.* 3. 37 Et patria poteſtate, *in fin.* J. *hic.* non tamen curia, J. *hic.* adde Jul. *hic num.* 433. 38 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Epiſcopalis. Cod. de epiſc. & cleric.* 39 Jul. *hic num.* 434. 3. Ecl. 1. *c.* 2. 40 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Presbyteros, C. de epiſc.* 41 Epiſcopi & monachi tutores eſſe non poſſunt. *Goth.* Vid. Gudelin. *de Jure Noviſſ. lib.* 1. *c.* 17. *n.* 9. *& de tutel. cleric.* Rittershuſ. *part.* 8. *cap.* 2. Anſ. 42 Presbyteri, diaconi, ſubdiaconi unam legitimam tutelam ſuſcipere poſſunt, non inviti tamen, J. *hic. l.* 52. *C. de epiſc.* 43 Clerici legitima tutela fungi poſſunt. Teſtamento tutores poſſuntne dari? Concilia id vetant, ut ſcribit Cyprianus 1. *epiſt.* 44 Non invitos *d. l.* 52. 3. *Ecl.* 1. *c.* 2. adde *l.* 17. *C. de epiſc.* 45 Id eſt, unam tantum legitimam tutelam adminiſtrare poſſunt. 46 Puta ne exceptores, vel exactores publicarum tributionum fiant, aut adjutores vectigalium aut alienarum poſſeſſionum, vel curatores aut fidejuſſores in talibus cauſis fiant, Julian. *hic num.* 435. adde *Nov. Leonis* 68. 47 Ἐκλήπτορα ἢ ἀπαιτητήν. 3. *Eclog.* 1. *cap.* 1. 48 Μισθωτὴν τελῶν conductorem vectigalium. Jul. *num.* 435. 49 Κουράτωρα οἴκου, id eſt, actorem aut procuratorem, idque congruit capitulo 3. Chalcedonenſis ſynodi, & cap. 6 Carthaginenſis ſynodi & Novellæ Leon. 86. forte militum exemplo. *Nov.* 116. ſacris enim rebus militant clerici. 50 *Nov. Leonis* 86. *Canon. Apoſt.* 19. 51 Oeconomi, diſpenſatores pauperum. 52 Quod eſt iniquum, decet enim ſacerdotes ſacris vacare. *l.* 32. §. 4. *ff. de recept. qui arbitr. l.* 52. §. 1. *in fin. C. de epiſc.* 53 Eccleſiæ conducere poſſunt poſſeſſiones ſibi adjacentes. 54 Eccleſia conductionem aut emphyteuſin facere cum alia eccleſia poteſt. 55 Clericis propriarum eccleſiarum poſſeſſiones conducere licet. 56 Singulis eccleſiis clerici certo numero adtributi. 57 Clericus conducere poſſeſſionem eccleſiæ non poteſt, niſi voluntate epiſcopi vel œconomi. 58 Pœna epiſcopi tutelam gerentis, prædiave publica & privata conducentis. 59 Pœna judicis, qui clericum fidejuſſorem vel creditorem vectigalium publicorum adprobaverit.

CAP.

CAP. VII.

Ne epiſcopus dicendi teſtimonii cauſa evocetur [1].

NUlli vero judicum [2] licebit, Deo amabiles epiſcopos cogere ad judicium venire pro exhibendo teſtimonio [3]: ſed judex mittat [4] ad eos quosdam ex perſonis miniſtrantium ſibi: ut propoſitis ſanctis evangeliis ſecundum quod decet ſacerdotes, dicant quæ noverint.

CAP. VIII.

Ne propter quamlibet cauſam epiſcopus ad ſecularem judicem trahatur [5].

SEd [6] neque pro qualibet pecuniaria cauſa vel criminali epiſcopum ad judicem civilem aut militarem, invitum produci aut exhiberi citra [7] imperialem juſſionem permittimus: ſed judicem qui tale aliquid ſive ex ſcripto ſive ex non ſcripto præſumpſerit imperare: poſt cinguli privationem, viginti librarum auri pœnam exſolvere jubemus eccleſiæ, cujus epiſcopus produci aut exhiberi juſſus eſt: executorem ſimiliter poſt cinguli privationem, & verberibus ſubdendum, & in exilium deportandum.

CAP. IX.

Ne epiſcopi proprias eccleſias relinquant [8].

INterdicimus autem Deo amabilibus epiſcopis proprias relinquere [9] eccleſias, & ad alias regiones venire. Si vero neceſſitas faciendi hoc contigerit: non aliter, niſi cum literis [10] beatiſſimi patriarchæ aut metropolitæ, aut per imperialem videlicet juſſionem hoc faciant: ita tamen ut nec illis epiſcopis qui ſub beatiſſimo archiepiſcopo Conſtantinopoleos & patriarcha ſunt, liceat citra permiſſionem ejus, aut noſtræ juſſionis, ad regiam civitatem venire. Si vero etiam ſecundum hunc modum epiſcopus cujuscunque loci profectus fuerit, non amplius [11] anno ſuam relinquat eccleſiam. Epiſcopos autem in regiam civitatem, ſicut dictum eſt, venientes, cujus ſubjecti fuerint diœceſis, præ omnibus ire ad beatiſſimum archiepiſcopum Conſtantinopoleos, & ad patriarcham, & per [12] eum ad noſtram introire tranquillitatem. Contra autem hanc noſtram diſpoſitionem proficiſcentibus, aut ultra definitum unius anni tempus extra ſuam eccleſiam facientibus moram, primo quidem non [13] miniſtrari ab œconomis propriæ eccleſiæ expenſas: deinde admoneri eos per literas [14] ſacerdotum ſub quibus agunt, ut revertantur ad ſuas eccleſias: & differentes autem reverti ſecundum ſanctas revocari regulas: & niſi intra definitum a ſacris canonibus tempus revertantur ad ſuas eccleſias, ipſos quidem ab epiſcopatu expelli [15], alios autem pro eis meliores ordinari ſecundum præſentis legis virtutem: hoc ipſo & ſuper clericis valituro cujuscunque ordinis fuerint aut miniſterii.

CAP. X.

Ut archiepiſcopi & patriarchæ ſæpius in annis [16] ſingulis concilia & ſynodos celebrent.

UT autem omnis eccleſiaſticus ſtatus, & ſacræ regulæ diligenter cuſtodiantur: jubemus unumquemque beatum archiepiſcopum [17], & patriarcham & metropolitam ſanctiſſimos epiſcopos ſub [18] ſe conſtitutos in eadem provincia ſemel [19] aut ſecundo per ſingulos annos ad ſe convocare, & omnes cauſas ſubtiliter examinare, quas [20] epiſcopi aut clerici aut monachi adinvicem habent, & emendare: ita ut per hoc quidquid extra regulas a quacunque perſona delinquitur, emendetur. Interdicimus [21] autem ſanctiſſimis epiſcopis, presbyteris, & diaconis, & ſubdiaconis, & lectoribus, & omnibus aliis cujuslibet venerandi collegii aut ſchematis conſtitutis, ad tabulas [22] ludere [23], aut aliis ludentibus participes ac inſpectatores [24] fieri, aut ad quodlibet [25] ſpectaculorum ſpectandi gratia venire. Si quis autem ex his hoc deliquerit, jubemus hunc in tribus [26] annis a venerabili miniſterio prohiberi, & in monaſterium redigi. Si autem in medio tempore oſtenderit dignam ſui vitii pœnitentiam [27], liceat & ſacerdoti ſub quo conſtitutus eſt minuere tempus & hunc rurſus proprio reddere [28] miniſterio: ſcientibus quoque ſanctiſſimis epiſcopis debentibus hoc vindicare, quia ſi tale aliquid agnoſcentes non vindicaverint, ipſi rationem Deo pro tali cauſa perſolvent. Nullum autem epiſcopum invitum cogi ullum clericum ſub ſe conſtitutum de proprio clero dimittere [29].

CAP. XI.

Ne quis ante [30] cauſæ exitum excommunicetur.

OMnibus autem epiſcopis & presbyteris interdicimus ſegregare aliquem a ſacra communione, antequam cauſa monſtretur propter quam ſanctæ regulæ hoc fieri jubent. Si quis autem præter hoc a ſancta communione quemquam ſegregaverit: ille quidem qui injuſte a ſacra communione ſegregatus eſt, ſolutus [31] excommunicatione a majore ſacerdote, ſanctam mereatur communionem. Qui vero aliquem a ſancta communione ſegregare præſumpſerit [32]: modis omnibus a ſacerdote, ſub quo conſtitutus eſt, ſeparabitur [33] a communione quanto tempore ille perſpexerit: ut quod injuſte fecit, juſte ſuſtineat. Sed neque propriis manibus liceat epiſcopum aliquem percutere [34], hoc enim extraneum ſacerdoti eſt. Si [35] quis autem epiſcopus ſecundum eccleſiaſticas regulas ſacerdotio pulſus, præſumpſerit [36] ingredi civitatem, ex qua pulſus eſt, relinquens locum in quo juſſus eſt degere: jubemus hunc in [37] monaſterium in alia regione conſtitutum tradi: ut quod in ſacerdotio deliquit, degens in monaſterio corrigat.

CAP. XII.

Quales [38] eſſe debent qui in clericos ordinantur.

CLericos autem non aliter ordinari permittimus, niſi literas [39] ſciant, & rectam [40] fidem, vitamque habeant honeſtam: & neque concubinam [41] aut naturales habeant aut habuerint filios, ſed caſte [42] viventes, aut uxorem [43] legitimam, & ipſam unam & primam habentes, neque viduam, neque ſeparatam a viro, neque aliter legibus aut ſacris canonibus interdictam.

CAP. XIII.

De ætate [44] presbyterorum [45] & cæterorum clericorum.

PResbyterum autem minorem [46] trigintaquinque [47] annorum fieri non permittimus. Sed neque diaconum aut ſubdiaconum minorem [48] viginti quinque, neque minorem lectorem decem & octo annorum. Diaconiſſam [49] vero non ordinari in ſancta eccleſia, quæ minor [50] ſit annorum quadraginta, aut ad ſecundas [51] venerit nuptias.

CAP. XIV.

De uxoribus [52] Clericorum.

SI autem tempore ordinationis clerici cujuscunque collegii aut ordinis, accuſator [53] aliquis apparuerit, dicens eum *indignum ordinatione eſſe*: differatur ordinatio, & univerſa procedat tam pro examinatione, quam pro multis cauſis, quas in epiſcoporum ordinationibus ſancimus. Si vero futurus ordinari diaconus non [54] habuerit uxorem (ſicut prius dictum eſt) conjunctam ſibi: non aliter ordinetur, niſi prius ab ordinante eum interrogatus promiſerit *poſſe poſt ordinationem & ſine legitima uxore honeſte vivere*: non valente eo qui ordinat, in tempore ordinationis permittere diaconum aut ſubdiaconum poſt [55] ordinationem uxorem accipere. Si autem hoc permiſerit [56] epiſcopus, expellatur ab epiſcopatu. Si vero poſt ordinationem presbyter aut diaconus aut ſubdiaconus uxorem duxerit: expellatur [57] a clero, & curiæ civitatis illius in qua clericus erat, cum propriis rebus tradatur. Si vero lector ſecundam [58] duxerit uxorem, aut primam quidem viduam, aut ſeparatam a viro, aut legibus vel ſacris canonibus interdictam [59], nequaquam ad alium eccleſiaſticum ordinem provehatur: ſed & ſi quolibet modo ad majorem ordinem perducatur, expellatur eo, & priori reſtituatur ordini.

CAP. XV.

Quibus caſibus Curiales [60] clerici ordinari poſſunt.

SEd [61] neque curialem [62] aut officialem clericum fieri permittimus: ut non ex hoc venerabili clero injuria fiat. Si vero tales perſonæ in clero conſtituantur, tanquam nec ad ordinem perducti, propriæ fortunæ reſtituantur, niſi forſan monaſticam vitam aliquis eorum non

1 Jul. *hic n.* 436. 2 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Sed judex. C. de epiſc.* 3 Epiſcopus dicit etiam invitus teſtimonium: id itaque cum cæteris commune habet, *l. ult. verſ. notiſſimi. Cod. de fide inſtr. l.* 4. *l.* 5. *ff. de teſtib. l.* 14. *Cod. de teſtib.* Id tamen ut dicat, in judicium trahi non poteſt: & conſequenter hoc ſpeciale a reliquis habet. *l.* 7. *l.* 8. *C. de epiſc.* 4 Vid. *l.* 2. §. 1. *Cod. de jurejur. propter calumn.* 30. *Eclog.* 4. *c.* 13. 5 De epiſcopis in judicium non vocandis. Jul. *hic num.* 437. 6 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Nullus epiſcopus. C. de epiſc. & cler. d. loc.* 7 Reſcripto Principis epiſcopus evocari poteſt litis cauſa ad judicem civilem vel militarem, *ut hic*, & hoc quidem receptum eſt, poſſe juſta de cauſa reſcripto Principis cauſam evocari ab actore, *Nov.* 53. *c.* 2. vel reo. *Novell.* 69. *cap.* 4. 8 De epiſcoporum profectione. Jul. *hic num.* 438. dic melius de epiſcopis vagantibus, & deſerentibus ſuas eccleſias, & ut ne ſine ſyſtaticis literis diſcedant; *Nov.* 6. *cap.* 3. adde 1. legum Francicarum *cap.* 131. de ſtabilitate epiſcopi vel clerici. 9 3. *Ecl.* 4. *cap.* 14. 10 Epiſcopi literis Imperatoris aut patriarchæ, poſſunt in omnes regiones excurrere neceſſitatis cauſa, ſolis literis metropolitani in vicinas tantum poſſunt, excepta regia urbe. Nullibi vero ſine literis metropolitani, vel patriarchæ, vel imperatoris. 11 Epiſcopis ſupra annum abeſſe extra epiſcopen ſuam non licet, *ut hic: & Nov.* 6. *c.* 2. adde *Nov.* 67. *c.* 3. 12 Epiſcopi intromittebantur ad imperatorem per patriarcham Conſtantinopolitanum, *Novell.* 6. *cap.* 3. 13 Reditus eccleſiaſtici epiſcopales Juſtiniani tempore adminiſtrati fuerunt ab œconomo, non ab epiſcopo. 14 Sacerdotes literis monere poſſunt ſuum epiſcopum diu oberrantem, ut redeat. 15 Syneſius χρῆναι τούτοις ὅσοι τὰς οἰκείας ἐκκλησίας ἀπείπαντο, πᾶσαν ἐκκλησίαν ἀπείπασθαι. 16 Vid. Jul. *hic n.* 430. 17 Synodos annuas cogere, quibus olim jus fuerit. *Goth.* Antiquitus Impp. id ſibi adrogaverant, ut patet ex *l.* 4. *Cod. de ſumm. trinit.* Anſ. 18 Quinam cogebantur ad ſynodos annuas. 19 Nota de Synodis annuis. 20 Quibus de rebus ageretur in ſynodis annuis. 21 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Interdicimus. C. de epiſc. & cler.* 22 Vid. 3. *Ecl.* 1. *c.* περὶ ταβλιζόντων ἐκκλησιαστικῶν προσώπων. de epiſcopis & aliis religioſis viris tablizantibus. Jul *hic num.* 440. adde *l.* 34. §. 1. *Cod. de epiſc. aud.* aleatorum ſuſceptor ταβλοδόχος. Moſchopulus περὶ σχεδῶν. Κύβους τὰ ἐστιγμένα ὅσα οἷς χρῶνται ταβλίζοντες. Suidas Πέττοι, ταβόλια ἐν οἷς ταβλίζουσι. vid. Cujac. *hic.* adde *Novell. Leonis* 87. 23 Adde *Ecl. d. lib. tit.* 2. περὶ κοττιστῶν ἤτοι κυβιστῶν. poſſis & huc referre titulum de clerico venatore *extra. & can. Eſau.* 86. *diſt. & can. Epiſcopus. diſt.* 34. *diſt.* 86. *c. qui venatoribus, cum ſequent. Clem. &* §. *Porro* §. *Si quis autem, ver. ſi quis vero. de ſtatu monach.* 24 Spectare otioſe res inanes & vetitas, peccatum *l.* 34. §. 1. *C. de epiſc. aud.* 3. *Ecl.* 1. *c.* περὶ ταβλιζόντων. 25 Spectacula præſertim alearum interdicta epiſcopis *diſt.* 23. *c. His igitur. diſt.* 35. *c.* 1. *diſt.* 44. *c.* 12. *c.* 15. §. *mimis.* §. *ad aleas. de vita & honeſt. clericorum. c. nullus presbyterorum in fin. de conſecratione diſt.* 5. *c. non oportet. c.* 41. *Apoſt.* 26 Pœna epiſcopi & clerici tabulis ludentium. 27 Pœnitenti ignoſcitur. 28 Miniſterium culpa amiſſum pœnitenti poteſt reſtitui. 29 Jul. *hic n.* 441. 30 De his qui ſine cauſa excommunicantur. Jul. *hic num.* 441. Goth. Vid. Rittershuſ. in *expoſit. nov. part.* 13. *cap.* 7. Anſ. 31 Major magiſtratus reſtituit adverſus ea, quæ geſta ſunt a minore. 32 Injuſta excommunicatio non tenet, ſed reſcinditur. 33 Pœna injuſte excommunicantis ſumpta de lege talionis; adde *Novell. Leonis* 61. 34 Vid. Jul. *hic num.* 443. De epiſcopo percuſſore, vid. 3. *Eclog.* 1. *c.* 23. An liceat prælato verberibus corrigere clericos: vid. *can. cum beatus. diſt.* 45. *c. ante omnia. diſt.* 38. *& c. circumcellionum &* 23. *quæſt.* 5. *c.* 1. *&* 24. *quæſt.* 5. de clerico percuſſore, vide *c. ſane percuſſor.* 45. *diſt. & c. ſi rector.* 44. *diſt.* 35 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Si quis epiſcopus. C. de epiſc.* 36 Exulis deportati & relegati refugæ pœna, facit *l.* 8. §. 7. *ff. de pœnis. l.* 14. *C. de epiſc.* adde Jul. *hic n.* 444. 37 Pœna eccleſiaſtica, in monaſterium detrudi. 38 Jul. *hic n.* 445. 3. *Eclog.* 1. Goth. Vid. *tit. de ætat. & qualit. præfic. in* 6. *& in Clement.* Anſ. 39 Clericos literas ſcientes eſſe oportet. Jul. *c.* 429. *&* 3. *Ecl.* 1. *c.* 21. Vid. *Nov.* 6. *cap.* 4. *Nov.* 137. *c.* 2. *verſ. exig. & diſtinct.* 37. *&* 38. An juriſprudentiæ vel medicinæ? vide titulum, *Ne clerici vel monachi ſecularibus ſe immiſceant. extra. & in ſexto.* 40 De hæreticis non ordinandis in clerum vid. Viglium 3. *method.* 4. *n.* 18. 19. 20. 21. de officiis clericorum, vide omnino eundem 3. *Methodo juris Pontificii* 5. 41 Nec concubinas alant Vigl. *ibi. n.* 60. ne cum mulieribus converſentur vel confabulentur *n.* 57. ne eas oſculentur 58. ne ſecum habeant mulieres 59. ne uxores ducant 61. 62. ne ſoli ad fœminæ tabernaculum accedant 63. ne cum mulieribus lavacra habeant communia 64. ne monialium monaſteria ingrediantur 65. ad num. 69. 42 Vid. Vigl. *ibi. num.* 56. 43 Vid. Vigl. *ibid. num.* 61. 62. 44 Jul. *hic num.* 446. *tit. de teſtib. ordin.* apud Viglium 3. *method. juris Pontificii* 4. *num.* 37. 45 Adde *cap.* 14. *ſynodi ſextæ in Trullo.* 46 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Presbyterum, C. de epiſcop. & cler. quæ ſubjecta eſt l.* 9. 47 Hæc omnia Clemens immutavit *c. ult. de ætate & qualitate & ordine*, anno quippe 25. ætatis presbyterum ordinari poſſe permittit, 20. diaconum, 18. ſubdiaconum. 48 Id mutatum *Novell. Leonis* 16. 75. *& c.* 15. *ſextæ ſynodi in Trullo.* 49 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Diaconiſſam, C. de epiſcopis.* 50 Magna quoque hic diverſitas occurrit, nam præcepto Apoſtoli 1. *Tim.* 5. Diaconiſſæ jubentur eligi non minores annis 60. poſtea ut anno 50. eligi poſſent, indultum fuit, *l.* 9. *C. de epiſc. Nov.* 6. *cap.* 6. 51 Diaconiſſa fieri non poteſt, quæ ſecundas nuptias contraxit. 52 Clerici conjuges eſſe potuerunt, *c.* 12. *ſupr. h. t.* 53 De accuſatoribus clericorum Jul. *hic num.* 447. 54 Quid ſi habuerit: poteſt ordinari ut & quivis clericus *c.* 12. *ſupr. hic.* ibi, *aut unicam uxorem legitimam*, quo nomine non epiſcopos, ſed presbyteros, diaconos aut ſubdiaconos intellige. 55 Poſt ordinationem diaconus uxorem ducere hic vetatur. Si tamen duxerit, uxorem non dimittit, privatur tamen diaconatu. 56 *Novell. Leonis* 3. & ita derogatur *c.* 10. Ancyranæ Synodi. 57 Notandum eſt hoc, Non retrahi ab uxore ad clerum, presbyterum, diaconum, vel ſubdiaconum, qui poſt ordinationem ſuſceptam uxorem duxerit. *Nov.* 6. *c.* 1. §. 3. 4. qua de re dixi ad *Nov.* 22. *c.* 42. 58 Vid. *d. c.* 42. 59 *Nov.* 6. *c.* 1. §. 3. 60 De curialibus & taxeotis ad clericatus honorem venientibus, Jul. *hic n.* 449. 61 Hinc ſumpta eſt Authentica, *Sed neque. C. de epiſc.* 62 *l.* 53. *pr. C. de epiſc.*

minus